EGNATII MONTII

PAP.

LOGICAE, PHILOSOPHIAE, MEDICINAE, ET ARTIUM DOCTORIS

Celeberr. Roman. Arcadum Acad. Regiaeque Papiensis Affidatorum Sodalis, in Regiam Scient. Acad. Gottingensem cooptati

LATINAE EPISTOLAE MEDICAE

AD VIROS ILLUSTRES MISSAE.







PAPIAE MDCCLXVII.

Ex Typographiâ Joseph Bulzani Impress. Civitatis, SUPERIORUM PERMISSU.

JC

E C

[illegible]der
[illegible]rip
[illegible]a
[illegible]ae
[illegible] i
[illegible] i
[illegible] c
[illegible] co
[illegible] S
[illegible]is
[illegible]re
[illegible]e



JOSEPHO MARIAE GATTO

Jurisconsulto Garbaneensi
Viro Clarissimo
suae Patriae Patri
& Consuli III.

EGNATIUS MONTIUS S. P.

E Pluribus illis meis Opusculis, quae TIBI offerre statueram, Vir Clarissime, quorumque Tuo ipsi nomini inscriptorum catalogum jam vulgaveram, vix ea quinque in lucem prodere nunc mihi licet, quae latinorum priora erant descripta; mea enim haec nova itinera, mea haec nova munera, novae tum publicae, cum privatae meae res omnium illorum Opusculorum neque editioni incumbere, neque ea saltem nitidiuscule exscribere in praesentia non sinunt, & quoniam haec jam sunt cusa, ea sine cunctatione ad Te sollicitus mitto, ut eo citius aliquod officii mei testimonium TIBI, Vir Splendidissime, objiciam pro tot maximis beneficiis, quibus quinque fere abhinc annis tam vehementer TIBI devincior. Sed enim vero qua proportione iisdem Tibi respondero, si praeter eorum pretium,

tium , & magnitudinem ea adeo sunt innumera ut cum M. Accio Plauto (a) fateri cogar

„ Si ego item memorem quae me erga multa feci-
„ Nox diem adimet (sti bene

TU cum esses secundo Tuae Patriae Consul , me Tuae istius Regionis Medicum communi aere allexisti: TU iterato cum tertium esses ibidem Consul in eodem me munere confirmavisti ; a quo per triennium adhuc non essem vacuus, nisi si singulari, qua TU , Tuumque Commune vere eminetis , moderatione me huic migrationi liberum reliquissetis. At haec minora quidem sunt benefacta , quibus me liberaliter isto fere quinquennio cumulavisti. A nobili Tua bibliotheca locupletatum me sentio eruditione , ac doctrinis , quae mihi certe antea non patuerant ; atque ut tandem ad illud spectatissimum bonum enumerandum descendam , quo incredibiliter delector , Tui dulcissima Pyladea amicitia quam felicissime fruor , quo bono nec mihi antiquius , nec ingenuo homini reputo optabilius ; " cum in rebus humanis (ut docuit Augustinus (b)) nihil *sanctius* appetatur, nihil quaeratur utilius , nihil difficilius inveniatur , nihil experiatur dulcius, nihil fructuosius teneatur „. Accedit quod amicitiam hanc ego junxi cum Viro docto & illustri , magni illius Antonii Avunculi Tui Genuensis Reipublicae Consiliarii , in Regio nostro Caesareoque Gymnasio Legum Interpretis , tot Classicorum Operum Celeberrimi Auctoris ob Sapientiam , promulgatasque lucubrationes aemulo , aeque ac haeredi & Nepoti ; quarum lucubrationum posterior tantum meae Orationi Medicae pro Infantis vita lumen adjecit.

Con-

(a) *in Captiv.*
(b) *in Lib. de Amicitia.*


Contra tot Tua in me merita, tenuissima haec mea oblatio nullius prorsus momenti esse deberet: quantulacumque tamen ea sit, ipsam ut pote dictatorum, quae intra Tuos ipsos parietes concepta sunt, & paullo minus expleta, TE naturali Tua comitate esse excepturum spero.

In aliquas hic latinas dictiones TU aliquando offendes, quae rem fortasse non satis exprimunt quam usitatis vocabulis barbaris promptius significarent. Rationem harum dictionum, quam nimis longum esset hic reddere, scias TE in meo illo maximo Opere, quod inscribo CLINICES STATUS, accuratissimam reperturum, ubi de vocabulis barbaris quae Libris Medicis illabi solent circa finem I. Voluminis sumus praefati; Dissertationem & Indicem, quos ad Clarissimum nostrorum temporum Grammaticum & Sophistam jam pridem tanquam ad Judicem mittere designaveram.

Adventum Tuum, quem gratiosissime promisisti apertis ulnis quam avidissime exspecto, ut amicitiam nostram, quam immortalem fore confido, iteratis amplexibus confirmemus.

Data Piceleon. Kal. Dec. A. C. MDCCLXVI.





LATINA OPUSCULA.

LATINA OPUSCULA
AD VIROS ILLUSTRES MISSA.

PRIMUM

Orthopnoeae ſiccae terribilis Hiſtoria Medica cum Sectione Cadaveris.



JOSEPHO BENVENUTO
LUCENSI MEDICO
V. Cl. & Acadd. Imper. Nat. Cur., Regiaeque Gottingenſis Socio

EGNATIUS MONTIUS
Pap. Med. S. P.



UT primum ad medicinam faciendam animos appuli tanta auctoritatum nec non obſervationum ſeges mihi legenti occurrit circa hujus artis defectum, atque imperfectionem quam maximam, ut in ſalebra haerere mihi viderer. Hinc tum imperio, tum etiam exemplo motus majorum Medicinae luminum priſcorum, & nuperorum, ſed vehementius a ratione illa, qua ſcimus, ab

Obſervationibus Medicinam eſſe ortam , & ab iiſdem unice promoveri , atque ampliari , decrevi ſtatim velle me de ſingulis rebus , quas in diem apud aegros videre mihi contingeret , ſive ego illos curarem , ſive alii Clinici , perpetua ſcribere Commentaria , quae uſque in praeſentia libens continuo ; ſcitiſſimum illud Baglivi monitum reminiſcens nos doctiorem librum non inventuros quam aegrum ipſum (*a*). Hunc ego interrogare primum ſoleo fere ad ravim , mox familiares : ut praegreſſae ſui morbi cauſſae , hiſtoriaeque notitiam penitus adipiſcar. Tum minutiſſima quaeque illius accidentia conſidero , quae vel jam prodita ſint , vel deinceps emergant , ſive a morbo , ſive a medicamento , ſive a natura , ſive ab exterioribus oriantur cauſſis. Dum autem annis nuper praeteritis in Urbe Papiae patria mea cariſſima ſtudioſiſſimos aliquot Juvenes ad Clinicen inſtituerem , praeter exercitium hoc, quod mecum indeſinenter factitare ipſos jubebam , modo antiquas , modo recentes meas Obſervationes tradebam ipſis , ut & eas magis ſerio perpenderent, & problemata plurima enodarent , quae hiſtoriae cuicumque rebar ſubnectere , & morbum , morbi ſigna , differentiam , prognoſtica , curationem , cum aliis, quae apud Auctores invenirentur, ſubtiliter compararent, vel ſi aliquid novi ineſſet , id annotarent , & epilogos tandem ex omnibus illis rebus conficerent , quo fieret , ut majus Scientiae Medicae , praeſertim Clinices incrementum , & promptiorem in Medicina profectum ſibi nanciſcerentur. Volebam inſuper, ut curarent in exponenda ſua acroaſi ab omnibus illis vocabulis barbaris ſe abſtinere , quibus pleraque Medicorum ſcripta in tanta etiam hodierna literatura ſcatere ſolent ;


exac-

(a) *Prax. Med. lib. I. cap. 7. §. 9.*

exactos enim, atque eruditos Medicos studens pro copia mea ipsos efficere neque aniatrologicos, neque latinae linguae literatores eos ferebam. Haec Tibi Sapientissimo Viro ad hunc finem dumtaxat scribo, ut scias quanta Ego quoque, ut Tu Vir Clarissime, jandudum urar cupiditate Clinices perficiendae, exiguumque exercitationum illarum specimen Tibi nunc sisto, historiam scilicet medicam cum sectione cadaveris, aliquibus, non tamen pluribus, ut tunc solebam, notationibus illustratam, adeo ut nec prorsus exsucca ob oculos tuos doctissimos posita crassior videatur, nec frivolis tirociniis importunissime obsita tuae fervidissimae menti fastidium faciat. Historiam autem hancce dum mitto, praestantissimo animo tuo, tuoque Reipublicae universae utilissimo ingenio morem gerere opinor, dum tam laudabili studio nos omnes publicis literis excitas ad historias hujusmodi conscribendas, Tibique nobilissimum Opus Medicum componenti celeriter subministrandas. Atque utinam plures ex his historiis mittere possem! At nullam aliam habeo huc usque inter alias innumeras, quas e natura aegrota descripsi, quae pro instituto tuo Sectionem Cadaveris comprehendat. Haec tamen si tibi utpote humanissimo non displicebit, pergam alias fortasse tibi communicare, si religionem illam ineptissimam utique, sed enim vero in his regionibus pene invincibiliter obfirmatam obtundere aliquando potero, qua piaculum creditur Cadaverum sibi propinquorum Sectionem sinere. Fac valeas, meque licet apud Te nullius adhuc coloris hominem mutuo diligas.

Data VI. Non. Maii A. C. MDCCLXIII. Garbaneae prope Dertonam.

HISTORIA



A C. MDCCLX. VII. Idus Maii. Quadragenarius Vir cognominatus Moschinus a brachiis illustris nostrae Matronae semper pallidus, melancholicus valde, pauci eloquii, & multi laboris, pluribus abhinc annis difficili aliquanium respiratione laborabat; & praesertim postquam plus solito ambulasset, sedebat lassus, vehementer & crebro spirans. Mense Octobris anni praeteriti morbus invaluit, & per tres menses dimidiatumque alterum vix comedere poterat ob pectoris, & praecordiorum angorem, a labore tamen non vacans. Ructibus toto hujus morbi tempore scatuit.

Mense interea Novembri die quodam de prandio cordis palpitationem maximam sentiit. In posterum major effecta est spirandi difficultas, & anhelatio. Sanguinis pondo una vice illi, incisa e brachio vena, miserunt; pluribus catapotiis, & lacte cum fabula seu bacca Arabica tosta curatus, post aliquot menses videbatur in melius se vertere. Lectum deseruit, non tamen sanus.

Mense Martio nuper praegresso iterum morbus ejusdemque accidentia recruduere.

VII. Kal. Aprilis per ora venarum ei detractus est ope hirudinum sanguis. Tussis, quam antea non habebat, supervenit. Posthac magis magisque in pejus ruit. Jus gelatum plurimum ei inter cetera cyathissabant. Post aliquod tempus iterum lectum, aegre tamen, reliquit.

Mense Aprili forte post Idus, vel etiam serius illi pedes, & crura frigido sudore noctu manabant.

V. Nonas Maji longam ambulationem fecit : sero domum petiit prorsus syncecticus, & solutus. Deinceps anhelus fiebat magis, & orthopnoicus. Cubare nequibat amplius praesertim in laevum latus in quo majus sentiebat pondus. Nocte, licet opprimeretur a somno, cogebatur cernuus se in erecta genua excipere.

IIII. & III. Non. adhuc e lecto interdiu surgebat per breve tempus.

Pridie Non. circa horam nonam lecto prorsus se dedidit iisdem continuantibus accidentibus. Quum frustulum carnis circa haec tempora comedisset, idem pene integrum egessit.

Nonis illum jam animus destituebat, quo circa saepe in lectum se erigebat ad recipiendum spiritum, quandoque ob eandem caussam e cubili quoque desiliens. Spiritus graveolens erat, venae concidebant, nec aequis intervallis movebantur. Interea in frequentes animi defectiones incidebat post miras, & indeficientes anhelationes. Tunc non respirabat, sed solum videbantur venae in jugulo palpitare, & ibi sanguis evidenter refluere. Aceto perfricatis naribus resipiscebat ; totus inde sudabat, ructusque mittendo aliquantisper levabatur. De die jus insulsum plurimum bibit, vel aquam succo malorum citreorum acidorum conditam. Omnia calida. Frigidae enim sumtae hae potiones majorem anhelationem ciebant, tepidae vomitum.

VIII. Idus alvum paullulum exoneravit excrementis sanorum similibus. A coena, quod fuit pulmentum e pane contrito, potionem somniferam hausit, per sesquihoram quievit, & fortasse dormivit, sed expergefactus ita se opprimere sentiebat, ut Sacra quamcitissime peteret mori continuo dubitans.

Haec curantibus aliis doctissimis Medicis evenere. Quae subsequuta sunt, ad definiendum morbum, mor-

morbique sedem, & caussam, quae tria usque ad illud tempus, praefiscine, non satis dignoscebantur, & ad praenunciandam mortem potius vocatus, quam ad medendum, ut statim viso aegro professus sum, ego ipse observavi.

VII. igitur Idus peraliquot momenta leviter inhorruerunt ei membra. Deinde animo linquebatur, & oculos tum adeo invertebat ut vix una linea nigrae eorum partis conspiceretur, vel etiam nihil. Quidquid gustabat, ipsi orthopnoeam augebat. Vinum creticum austerum pitissavit pari eventu. Ter interdiu spongiam decocto sequenti madefactam olfecit aliquo parvo levamine: quod constabat ex stoebe, helenio, & saxifraga, in quo solutum erat salis factitii e crusta doliari, succini albi contriti, & floris laseris, seu Cyrenaici succi singulorum scrupulum. Cochleare eclegmatis sumpsit, in quo erat millepedarum in farinam siccatarum, floris ejusdem Cyrenaici succi singulorum scrupulum; salis e succino obolus, balsami albi, seu styracis albae Antipodum vitello ovi exceptae, saponis Veneti, singulorum drachma, succi violarum, & succi althaeae saccharo coctorum, singulorum quadrans. Hoc frigidum ei propinatum vomuit: ita & luteam ovi partem jure pingui solutam. Coacta alvi, & urina sanis similia. Sero videbatur aliquo intervallo moderatius angi, sed parvo tempore. Palpitabat ei cor inaequaliter, & a parte laeva minus persentiebatur. Pulsus habebat intermittentes, & exiguissimos. Vomitus ei movebatur, sed non vomebat. Nocte subsequenti secunda vigilia anhelus non erat amplius. Nullus fere pulsus apparebat, & cum apparebat, modo suo loco vix aderat, modo nonnisi versus flexionem cubiti. Hypochondria usque ad hoc tempus mollia.

VI. Id. Solita penitus accidentia. Pulsus adhuc magis

gis intermittebat. Pedes & crura tumida reperta sunt forte jam antea talia. Ptisanam bibebat succo malorum citreorum acidorum adjecto. Eo die non vomuit, ut tribus antegressis diebus. Potiones frigidiusculas, vel tepidas melius tunc ferebat, quam calidas. Inter has erat mistura cordi, ut ferunt, auxilians. Flexo in vesperam die artus omnes frigidos habuit uti nasum, & animam. Cacaturiebat, at perperam. Posthaec tota reliqua nocte male nimis se habuit; aliquanto tamen quievit, & sine tot pulvinaribus sub capite, & dorso.

V. Idus mane singultuit forte primum. Urinam minxit rubicundiorem. Interdiu minus anhelabat, & videbatur vultu minus adducto, quam in praeterito biduo. Attamen vix vescebatur paullulum, solitae praesto erant anhelationes gravissimae. Vini albi lenis, quod fere unicum jusseram, sextarium, vel etiam plusculum bibit decocto suprascripto commixtum, quod testabatur sibi magis prodesse, quam quique alii potus, vel cibi. Animo, ut solebat, deficiens aceto naribus indito confestim revivifcebat. Pulsus formicans erat, ac interdum subsiliens, minus vero intermittens. Ceterum aequalia fere morbi accidentia. Nocte insequenti non ita gravatus ut præcedenti bis, vel ter surrexit ad trullam. Alvi coacta excrevit partim flava, & partim leucophaea, & atra.

IIII. Idus vaniloquus erat. Lecto ut se adaptarent saepe petebat. Singultus frequentissimus; pulsus soliti. Pectus, & brachia saepissime nudabat. Cibos postulabat, & plura edit pulmenta solita e pane contrito, multumque vinum album lene potavit. Nocte subsequenti rursus moriturum credebant anxium praetermodum, & inquietum. Modo de calore querebatur, modo de frigore. Abire volebat, identidem singultiebat.

III. Id. diluculo parum alvum exoneravit excrementis adhuc coactis, magno conatu, verum dilutioris coloris. Intus aestuabat. Circumspiciebat, suspiciebatque oculis exterrefactis. Balbutiebat. Vergente die iterum lecto descendit. Solitae dejectiones. Minxit plus solito. Vaniloquus indumenta quaerebat ad se vestiendum; alioquin sopitus jacebat magis quam alias, semper anhelans, & identidem se excutiens. Se erigebat in lectum; nudabat sese; calefieri jubebat se frigefactum immo gelidum dicens, quum contra exterius magis calebat quam aliis diebus. Pulsus vix percipiebantur, praesertim dexter. Venter aliquanto intentus. Ad noctem multam pessime se habuit.

Pridie Idus mane pariter lecto surrexit. Dejectiones coloris cinnamomini. Mixtio ut antegresso die. Gravissimus erat rectu. Ungues, manus, & nasi acies livebant. Vespere fere non amplius loquebatur vel balbutiebat. Fere semper sopiebat: stratus plerumque capite in dextrum humerum incumbente. Anhelatio languida, & suffocans. Vitellum ovi jure solutum gluttire nequibat. Posthaec plures alios inanes habuit ad vomendum conatus. In hoc triduo vel quatriduo millies fortasse singulo quoque die se Crucis signo munibat. Noctem subsequentem nimis aegre rursus exegit.

Idibus modo sopiebat, modo pandebat oculos nitidissimos. Rarissime loquebatur. Fere nulla anhelatio. Pulsus videbantur elatiores praesertim laevus. Linguam quam jamdudum habebat ruidam, aqua & aceto perfricando ei molliebant. Oblatum vinum solitum, pultem consuetam, tum vitellos ovi e jure, omnia excipiebat libenter, & manibus propriis ori admovebat. Saepe numero se in lectum erigens ad pulvinos de more pone acervatos studebat se commodius applicare. Mane, post meridiem, & prima nocte alvum

alvum liquidam, magnopere foetidam, versicoloriam; urinam reddidit plurimam flavam. Stimulos ad haec omnia persentiens monebat se id facturum. Post singulas dejectiones videbatur paullo levatus. Primis vigiliis se angebat ob quiddam, quod nequibat exspuere; tandem id exscreavit, quod apprime fabam Arabicam integram referebat. Noctem reliquam probe requievit. Iterum ventrem purgavit. Dejectio eadem. Urina denuo multa. Febrim, ut retulerunt, acutissimam habuit, sed nihil fere anhelabat. Lingua & labia nigerrima.

XVII. Kal. Jun. mane rursus lecto descensus ope assistentium ad familiaricam sellam alvum, & vessicam exoneravit. Perquam levatus. Dulciarium panem oblongulum, quem sermone vernaculo dicimus *biscottino* e vino eodem sumpsit. Anhelus iterum. Lecto redux de aridissimo gutture lamentabatur. Nullum sputisma poterat ulla vi exscreare. Volens mejere petebat matulam, & quum volebat, mingebat. Pedes eo die inspectos habebat frigidos; medius dexter & amplius jam erat lividus: aliquantulum lividus erat & alter. Sero suae mentis compos rarissime loquebatur. Pulsus praesertim laevus aliquantulum dilatatus. Difficilius se erigebat. Os & spiritus illi multum foetebant. Noctu cochleare eclegmatis illi ingesserunt. Alvus saepe descendit liquida, flava odoris intolerabilis.

XVI. Kal. mane aliud pauxillum misturae ejusdem e vino albo absorbuit. Post aliquot nisus pus flavum exspuit. Toto die frons ei porrectior. Venae celeriores, & aliquanto abnormes; dexterae autem minus minusque percipiebantur. Identidem consuetae animi defectiones. Oris graveolentia eadem. Diarrhaea eadem continuavit. Tacti pedes dolebant. Lividior, tumidiorque evaserat dexter variis refertus

bullu-

bullulis, gangraena affectus. Pedis etiam finistri digiti fere emori incipiebant. Utrumque panniculis aceto imbutis obvolvunt. Bina alia interdiu linxit ecligmatis cochlearia. Nihil exspuebat. Rectius loquebatur. Querebatur de tibiis. Rarius singultiebat. Vesperi dexterum pedem Chirurgus scarificavit, medicavitque vino pluries ad ignem distillato, quod sale acerrimo e lauro Indica eruto, & ammoniaco sale erat imbutum. Inquiunt hoc ipso die quaedam dejecisse strigmentis intestinorum similia, sive caruncuías.

XV. Kal. Usque ad radicem scalarum, per quas ad suum cubiculum scandebatur, foetor uti cadaveris praesentiebatur. Vel mutus ipse, vel mussans, nihil fere anhelus saepe manus conspicit, & sub oculis examinat. Singultus eodem modo rariores: Eaedem animi defectiones : eadem alvus. Aliquando de cruribus lamentabatur. Lingua, & os ipsi nigerrimum. Pulsus dexteri brachii paullo adhuc exilior quam alter, qui tamen vix percipiebatur, inaequalisque erat, & aliquando intermittens. Brachiis projectis, vitaque e pulvinaribus prolapsa jacet, & capite super dexterum humerum reclinato. Brachium dexterum totum, digiti alterius manus, collum, & caput prae spasmate identidem contremebant. Manus, & fere medium idem brachium rigebant. Pes dexter tumidior factus, totusque lividus, & latis vessicis obsitus eo die medicabatur aceto solo.

XIIII. Kal. mane spirabat putorem molestum adeo ut fas esset patefacta tenere ostia & fenestras. Pustulae, seu lenticulae lividae circa pectus mihi primum apparuere, quas tamen ab aliquibus diebus ortas fuisse asseruerant familiares. Bullulae dextri pedis latiores erant, & humor suberat. De prandio disruptae sunt. Reliqua ut pridie.

XIII. Kal. Foetor, quem spirabat, ferri non poterat.

XII.

XII. Kal. mane plura fraga avidissime ipse ipse comedit. De doloribus pluribus saepe conquerebatur. Palatum, gengivae, totumque os nigrum, emortuum. Fere tota manus dextera nigra, arida, & contracta. Contractis jacebat cruribus. Pomeridiano tempore guttur crepitare illi incipiebat.

XI. Kal. Junii mane hora fere altera occubuit. Hora autem plus minus nona sectum est ei cadaver.

Deducta thoracis cute anteriori adeps ejusdem visus est fere omnis consumptus, nec aliud nisi pauci ex eodem adipe flocculi manserant putridi, & flavi. Costas elevando fluxere aliquot unciae ichoris, vel certe humoris subviridis, & tetri odoris. Dexterae pulmonis fibrae praeter propter dodrans inferior totus prae putredine deficiebat, quasi cultello detruncatus fuisset, & qui supererat quadrans tenuissima cartilagine cicatricis loco erat obductus. Interior ejusdem pars undique obstructa erat, & ubi feriebatur cultello flavus, putridusque ichor manabat. Altera pulmonis fibra cinerei coloris longe dilutioris erat quam moris sit. Membrana, qua cor involvitur, vel quaquaversus ipsi adhaerebat, vel ob similem consumtionem perierat nequaquam visa. Tumultuaria fuit sectio, nec potui rationem tam gravis hujus discriminis diligentius explorare. Musculosa substantia dextri cordis ventriculi livida erat nimis & vitianda. Secto eodem ventriculo erupit sanguis coactus. Septum transversum juxta vertebras vel consumptum, vel ruptum erat. Jecur tumidulum & paullo obstructum. Cetera viscera expendere non vacavit; sed obiter circumspecta nihil insoliti obtulerunt.

CON-

CONSIDERATIO.

NUlla revera aut certe pauca in memorata historia sunt singularia : neque morbus, neque morbi accidentia , neque totius fere dexterae pulmonis fibrae consumptio , neque tunicae cordis apparens saltem defectus : quippe , misso nunc morbo & accidentibus , frequentem pulmonum consumptionem in Orthopnoicis fuisse a Casp. Bauhino (*a*) & Columbo apud Schenkium (*b*) edocti sumus , pluraque alia de ea re habemus exempla in Sepulchreto (*c*) , apud Senacum (*d*) & Hallerum (*e*) , nec paucos alios , quos consueta ubertate nuper collegit magnus Morgagnus (*f*). Defectum autem jam noveramus membranae, qua cor involvitur, sive verum, ut inter alios jam crediderunt Columbus (*g*) & post alios (*h*) Goveyus (*i*) , sive apparentem ut animadverterunt Lancisius (*k*) Heisterus (*l*) Hallerus (*m*) Senacius (*n*) Morgagnus , qui alios citat (*o*) & praeter alias observationes in cadaveribus factas (*p*) in viro tabido sci-

(a) *De Obser. propr. apud James* Diz. Univ. Med. *T. VI. pagg.* 311. 312. (b) *apud eund. James ibi pag.* 309. (c) *Sect. VI. Obss.* 4. 11. *& in Additam. Obs.* 1 §. 2. *& Obs.* 4. *& Sect. VII. Obss.* 20. 55. 103. *cet.* (d) Traité du Coeur liv. *IV.* ch. 3. n. 2. (e) *Opusc. Pathol. Obs. XVII.* (f) *De sedibus & causis Morb. Ep. XXII. n.* 7. (g) *De re anatomica lib. XV.* (h) *Hist. Acad. Reg. A.* 1712. *p.* 47. (i) Chirurgie *p.* 339. (k) *De Motu Cordis lib. I. prop.* 23 (l) *Compend. Anatom.* §. 260. (m) *ad praelect. Boerh.* §. 132. *Et Prim. lin. Physiol. n.* 77. (n) cit. Traité Ch. *V.* n. 4 (o) *op. cit. Ep. XXIII. n.* 17. (p) *ibi Epp. IV. n.* 19., *V.* 19., *VIII.* 6., *XXII.* 4., *XXIV.* 11., XXX. 7., XXXXIX. 4.

ſcilicet & dyſpnoico ſemel eam invenit cordi ita arcte & undique adhaerentem , *ut unum cum ipſo efficere corpus videretur* (*q*) ; quod recentiſſimus Auctor Obſervationis cujuſdam de vitiis praecordiorum , quam in Ephemeridibus Medicis Venetis modo legimus (*r*), ultra inſpexit in orthopnoica muliere. Non aliud ergo in re medica noſtra haec obſervatio praeſtabit , niſi aliorum Obſervationes iterum confirmare. Paucula tamen verba huic ſubjungere mihi liceat , ne ſycophanta videar ob id quod nuper aſſerui , me ſolum prae aliis morbum praecognoviſſe. Quibus tunc ductus fuerim argumentis , nunc brevibus accipere non te pigeat.

Igitur maximum nos morbi accidens conſiderando, totum morbum vocavimus Orthopnaeam ſiccam exemplo Hippocratis (*s*) & Galeni (*t*). Revera autem primo phthiſin fuiſſe tunc judicavi , mox pulmonis dexteri conſumptionem , & una pectoris hydropem : denique inflammationem cordis , & ſuae tunicae concretionem cum ipſo.

Quod phthiſis antea fuerit , & ſubſequuti ſint iſti alii duo morbi ſic conjectabam. A melancholia hypochondriaca facta eſt pulmonum obſtructio , ab obſtructione hac ſpirandi difficultas , a ſpirandi difficultate eo major ſanguinis , aliorumque humorum lentor praecipue in pulmone , a lentore hoc eorum corruptio , a corruptione humorum , ſuorum vaſorum eroſio , & eorundem humorum extra ſua vaſa effuſio , dexterae pulmonis fibrae conſumptio , & forte etiam cordis involucri , dexterae inquam , ut e ſigno mox enunciando inferebam. Ita VIII. illo die ante Idus Majas pluribus diſſerebam ; progrediente autem mor-

(q) *Ep. XXII. n.* 10. (r) Gazz. Med. T. *I.* P. *II.* N. XXIV. Ediz. Parm. (s) *Lib. de rat. victus in acutis.* (t) *Comment. IV. in lib. Hipp. cit.*

morbo, a consumptione dictae pulmonis fibrae arteriae suae erosio & destructio credenda erat ; a destructione hac sanguinis mora in ventriculo cordis dextero : ab hac sanguinis mora inflammatio cordis, & hanc ob caussam adhaesio, concretioque tunicae ejusdem cordis cum corde ipso, nisi ea antea consumpta fuerit, ut innuimus : hinc ejusdem cordis marcor, & Aegri mors.

Signum porro praecipuum, ex quo liquide coarguerim pulmonis dexteri consumptionem, illud fuit ab Areteo indicatum (*u*), negatus scilicet aegri cubitus in oppositum latus. At enim hanc consumptionem clarius deinceps manifestari mihi videbar ab accidentibus aliis, quae inde secuta sunt; pulsus videlicet venarum in carpo dextero depressiores, particulae illius forte pulmoneae, fabae arabicae similis exspuitio, dexteri primum pedis tumor, livor, gangraena, marcor ; dexteri brachii spasmus, & rigor ; dexterae tandem manus nigrities, ariditas, & contractio.

Pectoris hydropem manifestari credideram primum a maxima spirandi difficultate uti Oaethaeus (*x*) & Verneyus (*y*) docuerunt: dein a tussi ut Lövvii (z) Boneti (*a*) & Wepferi (*b*) prae aliis observationes tradunt: demum a difficili cubitu in unum latus, sanum scilicet, id monente Pisone (*c*), & aliis apud Bonetum (*d*).

Incerta quidem haec duo de cubitu signa esse nuper ab inimitabili Morgagni Opere didici quod jam allegavi, ubi praeter aliorum Clarissimorum Virotum

---

(u) *Acutor. I. cap.* X. (x) *in Boneti Sepul. lib. II. Sect. I. Obs.* 76. (y) Mém. de l'Acad. R. des Scienc. de Paris A. 1703. (z) *Eph. N. C. Dec. III. A. V. Obs.* 154. (a) *Sepulchr. lib. II. Sect. II. Obs. III.* (b) *ibi lib. IV. Sect. III. Obs.* 26. *in addit.*

rum, quibus tam apte utitur (e), auctoritates suas persaepe enarrat, uti & Valsalvae super hac dubia re pulcherrimas observationes. Hinc modo juvenem (f) modo adolescentem (g) pectoris hydrope detentos, neque in sanum latus cubantes refert: modo virginem (h), modo aliam foeminam (i), modo Juliam quandam (k) secus in eodem morbo cubantes. Ita ubi inflammatus fuerat alter pulmo, in affectum latus cubare nequivit juvenis (l), Vir (m), & Mulier (n): contra cubare potuit Vir alius (o), imo ad id cogebatur Virgo (p), & altera Virgo (q). Ubi saniosus, putridus, vel alio simili modo affectus fuerat pulmo alter, in affectam partem decumbunt juvenis (r), Vir (s), Meretrix (t): id vero praestare nequeunt Mulier (u), Adolescentulus (x). Nec minus ambiguum apud eumdem Auctorem signum est tussis, quum ex pluribus, quas ipse profert, observationibus (y) liqueat in hydrope etiam involucri cordis id evenire. Verumtamen eo tempore plus mihi juvit hosce particulares contrarios casus nescire, ut confidentius isthaec prognostica pronunciarem.

Cordis inflammationem eo ipso die quo advocatus fueram XIV. scilicet ante aegri obitum die statim suspexeram a primo illo horrore, & vomitu, pul-

 suum-

(c) *apud Bonet. Sepulchr. lib. II. Sect. I. Schol. ad Obs.* 137. (d) *ibi Obss.* 81. 82. (e) *locis modo citandis.* (f) *Ep.* XVI. *n.* 10. (g) *Ep.* XXXVIII. *n.* 16. (h) *Ep.* XXII. *n.* 16. (i) *Ep.* XXXVIII. *n.* 15. (k) *ibi n.* 4. (l) *Ep.* XX. *nn.* 17. 19. (m) *ibi n.* 26. (n) *ibi n.* 41. (o) *ibi n.* 3. (p) *ibi n.* 16. (q) *ibi n.* 43. (r) *ibi n.* 35. (s) *Ep.* XXII. *n.* 10. (t) *ibi n.* 15. (u) *Ep.* XX. *n.* 41. (x) *Ep.* XXII. *n.* 6. (y) *Ep.* XVI. *nn.* 21. & 45.

suumque fere defectu. Hanc singultus, vaniloquentia, & aestus, & calor & frigus fugax, stupor, balbuties, sopor, ventris intentio, convulsiones, febris septimâ praesertim nocte acutissima, summa ariditas gutturis confirmabant.

Hujus inflammationis effectum, ut forte fuit, videlicet concretionem involucri cordis cum corde ipso, eam ab observationibus Peyeri imprimis (z), tum & Lovveri (*a*) didiceram. Prior enim ex his in concretione hujus membranae cum corde maximam pectoris anxietatem notavit, pulsum debilem, parvum, tremulum, aliquando deficientem, & formicantem. Notavit insuper, nunquam nisi pronum in genua provolutum, cubitisque suffultum dormire, imo respirare aegrotum suum valuisse. Eorum alter ad motum quemvis anhelationem, pulsum parvum, & intermittentem, dolorem cum insigni gravamine praecordia infestantem, & crebras animae defectiones.

Quod si contrarie inflammationis origo a defectu, seu corruptione ejusdem cordis involucri pependisset, quidni hujus membranae absentia similes forte effectus producere potuisset? Discipulus enim ille, quem Realdus Columbus mortuum secuit (*b*), cuique haec membrana (eo sic sentiente) defuerat, in animi defectus, dum ipse viveret, incidebat, subinde mortuo similis, ut hic noster Moschinus, conspiciebatur.

Haec sunt, quae, Benvenute Clarissime, tunc expendebam, atque ex his argutabar id quod incisio cadaveris postea demonstravit. Num caecutiverim, benigne mihi significá, & me amare volenti animo aggredere.

OPUS-

(z) *Meth. Hist. Anat. Cap. VI. in Schol.*
(a) *Tract. de Corde Cap. II.*
(b) *De re Anatom. lib. XV.*

OPUSC. II.

De Aere Nosocomiorum & Carcerum gubernando.



LUGDUNENSIBUS SCIENTIARUM
ET ARTIUM ACADEMICIS
VIRIS CLARISSIMIS

EGNATIUS MONTIUS
Papiensis Physicus S. P.

DUo prorsus diversa, sibique etiam contraria Problemata, sed quae unica, analoga, sibique cohaerente solvuntur, me quidem judice, rerum aestimatione, Sapientissimi Viri, nobis solvenda offertis. Aer enim, qui Nosocomia pererrat, ex se nimius videtur esse, imparibus particulis quoquoversum refertus, calidus, paucaque vi renixus dotatus: Carcerum aer paucus est, iners, frigidus, crassus. Ille igitur minuendus, refrigerandus, majori vi renixus donandus, ejusque inquinamenta vel curandum est, ut consideant, vel quae excitata sunt, deprimenda: hic multiplicandus est, calefaciendus, mobilior, tenuiorque reddendus. Ut ne multis, atque inanibus verbis vos morer, earum rerum rationem, quas tam audacter propono,

 stude-

ſtudebo in pauca conferre, parique compendiario ſermone modum innuere, quo haec duo, quae Vobiſcum univerſa quidem Reſpublica cupere debet, conſequi valeamus.

Vetus opinio mea eſt, aerem, non dico hodiernum, quem omnes perhibent mixtum, ſed utcumque primordium, & quem Muſſchenbroekius appellat liquorem ſui generis a vaporibus & exhalationibus diſtinctum (*a*), fuiſſe nunquam rerum principium, ſed potius earum rerum diſſolutionem & finem; quae forte fuit cauſſa, qua Anaximenes (*b*) & Hales (*c*) eum rerum omnium originem praedicaverint, videntes ſcilicet omnes res in eum tandem converti. Boylei (*d*) & Haleſii (*e*) praelaudati experimenta de vero aere qui e corporibus gignitur, denſuſque, nec non renitens ut alius aer, uſque ad ſex annos ab Haleſio eodem jam conſervatus (*f*), quod etiam factum fuiſſe Muſſchenbroekius negare nequit (*g*), idem confirmant. Nam nulla quidem eſt ratio cur pars aeris e corporibus, non, inquam, extricari, verum produci poſſit, & alia pars corporibus praeexiſtat a Deo O. M. quod non conſtat, ſingulariter uti principium creata. Quem opinionem nullis quoque aliis contrariam experimentis, neque ita facile Muſſchenbroekii objectationibus diluendam nunc apud alios Phyſicos recenſitam invenio, & ſpeciatim apud V. Cl. Joannem Franciſcum Pivatum (*h*) quem cum lacrymis memoro, quippe qui mei amiciſſimus nuperrime, XVI. ſcili-

---

(a) *Elem. Phyſic. Cap. XXXVI. §.* 1069. (b) *Diogen. Laert. de Philoſ. vita Lib.* 11. (c) Vegetable Statiks. (d) *Experim. nova phyſ. mechan.* (e) *Op. cit.* (f) *Haemaſtat. append. p.* 310. (g) *Loc. cit. n.* 4. (h) *Dizion. Poligraf. T. III. Art. Aria p.* 238.

ſcilicet Kal. Februarii, e medio exceſſit. Quomodo autem is aer primum confectus ſit, & quotidie oriatur, ſic reor fieri. Lucis radii, qui tanto impetu, ut notum eſt, in objecta corpora ruunt, horum modo comminuunt ſuperficiem, modo penitius illa pervadunt, omnimodis tandem infinitas ex his particulas excitant, agitant, tollunt, per immenſa ſpatia prolatant, jugiter plus minus terunt, perforant, limant, diſſociant, quo ad uſque ſcilicet lucis particulae ab hujuſmodi ſibi extraneis particulis ſe expediant. Haec ratio videtur eſſe exhalationum, vaporum, totius aeris, qui hunc orbem circuit noſtrum, neque iſtum ſolummodo, ſed & qui Lunam, ut Iſlius detexit (*i*), & forte etiam alios Planetas obſidet, & circumvenit, qui cum pariter aliena petantur luce, iiſdem ſuarum ſuperficierum attritibus erunt obnoxii. Porro aer hic tam diverſis conſtans cum gravioribus, tum levioribus atomis ſponte juxta naturae leges ſe in varias quaſdam planities ita diſtribuit, ut atomi craſſiores gradatim inferiora aequora exaequent, & ordinate tenuiores ſupernatent. His poſitis accidentia illa omnia explicare facile eſt, quibus aer potitur; atque ne alia perſequar, quae magis liquent, illud etiam, quod explicatu difficilius videtur, ideſt vis renixus. Haec enim vis a circulis illis minimis, quibus aer ipſe demum conflari maxima ex parte debet, dependet. Ponamus enim innumerorum radiorum lucis acies, ſive lineolas nonniſi rudes particulas primum per circumſtantia Orbis ſpatia vehere, ſive vexiſſe, quarum particularum forma fuerit, ut puta, pileolorum, cellularum, calyculorum, quorum extima ſuperficies ſit adhuc ſcabra, inaequalis: ubi hae particulae diutiſſime per-

 frictae

(i) Mém. de l'Acad. R. des Sc. de Paris.

frictae fuerint , polientur : & ubi lucis lineolae a minimis illis , ut ita dicam , compedibus denique evaserint, aer quasi omnis ex minutissimis, expolitissimisque circulis , seu circulorum seriebus erit conflatus. Sed de his alias. Nunc satis est mihi, quod concedatis , aerem a lucis radiis efformari , & diutine in orbem duci : sive lux haec nuda conspicuaque a Sole proficiscatur , vel ab aliis corporibus illuminatis , sive quocumque modo relata ac involuta sit in particulis quibuscumque , quae potissimum a calidis , seu calefactis corporibus solent prodire. Verum enim vero qua & quam densa harum aerearum particularum nube non opplentur Nosocomiorum spatia ob tot , tamque varias exhalationes terreas , corporeas , morbosas , sudoriferas, foeculentas escarum , medicamentorum, suffimentorum? Aer hujusmodi quantum plus aequo nimius , hinc gravior , impurior , calidiorque ob contentos nimios igniculos esse debeat , quisque videt. Cumque hujus particulae rudes adhuc eae sint , informes , fornicatae , corticosae , asperae , angulatae , neque idonee attritae , rotundatae, tornatae , nec non in tenuissimos illos, levigatissimosque orbiculos elaboratae , ob nimis circumscriptum spatium lente percursum , vim illam renitendi , resiliendique nequeunt ita commode adipisci. Haec autem probant tubuli vitrei Turricelliani, atque Farenheitiani, in quibus aliquanto magis ascendit hydrargyrus in Nosocomiis , usque dum eorum aer igne vel suffimentis nondum est rarefactus ; probat luminum fuscus splendor , vocum & sonorum vis magna, citaque repercussio, odor graveolens, sanorum qui ea loca ingrediuntur durior respiratio , gravedines , cephalalgiae , satietates ciborum , nauseae , solutiones stomachi & ventris , acuti morbi in novis Nosocomiorum Ministris orti , in aegris maximus languor, tardissima valetudo. Quae singula, li-

cet

cet noverim aliis caussis tribui posse, dum tamen a majori aeris pondere minimum resilientis, ut de vaporoso aere docuit Hales, (*) ea repeto, jam intelligitis, quibus facile verbis uti valerem ad melius me explicandum; id quod libenter facturus essem, nisi vestrum taederet, uti mei taedet semper, inutilibus notarum ratiuncularum ambagibus enecari. Quod si nulla contradictione hanc, quam tueor, veritatem Vos admiseritis, pergam ad demonstrandum aerem hunc rarefactione quidem egere, non ea vero, quae vulgo solet tentari ope ignis & suffituum, qui licet aerem jam productum aliquanto extenuent, & rarefaciant, multo majorem tamen aeris copiam eodem tempore, ut innuimus excitant, & producunt. Hinc apposite statuit Boerhaavius (k) idem esse aerem ope caloris rarefacere, ac ipsummet condensare, considerata videlicet majori renitendi, resiliendique vi ipsi eodem tempore communicata. Aliqua ergo alia id pertentandum est via, qua aeris inquinamenta purgentur, & deprimantur, quaque prohibeatur, ne inquinamenta hujusmodi multum tollantur, & ita aer idem servetur (ut ea loca permittunt) purus, defaecatus, innocuus.

Natura forte omni perspecta tam utiles effectus hi

(*) *Amontonius invenerat* (Hist. de l'Acad. R. des Sc. de Paris A. 1702. mém. 155.) *vim hanc aeris renitendi, resiliendique eo majorem fieri, quo aer est densior. Intelligendum tamen hic est de aere jam perfecto, seu penitus elaborato, ut ego meis utens phrasibus dicerem, seu de aere puro vaporibus nullis obruto, ut communi hactenus Philosophorum phrasi solemus dicere.*

(k) *Chym. T. I.*

nonnisi ex aqua ſperandi ſunt. Experimenta, quae ad perpendendam igniculorum e corporibus fere quibuſcumque micantium naturam, & indolem tanta ſedulitate, frequentia, & fama a Deſagulliero prae ceteris ſunt inſtituta (*l*), nos evidenter docent, aerem humidum vim hanc mirabilem emittendorum igniculorum maxime obtundere, reſque omnes humidas parum de hac vi poſſe gloriari. Aliae vero obſervationes tempore pluvioſo factae ſatis evincunt, quod dum aer aqueis imbutus eſt atomis & levior is eſt, & purior, unde homines qui juxta flumina habitant, quae ſtagnantes revehant aquas incolumes ac ſplendidi vivunt, inquit Hippocrates (*m*). Nullis ergo majoribus probationibus opus eſt ad ſuſtinendum placitum noſtrum: nam ex his duobus recta inferimus, aquam ea omnia poſſe obtinere, quae nos in caſu noſtro vellemus. Si enim lucis particulae vel ope aquae in corporibus detineantur ob pororum forte obſtructionem, vel ab aqua involvantur, & enerventur, aer longe paucior producetur, & aereae eaedem particulae graviores, impurioreſque cedent extemplo humidis levioribus, atque purioribus, imumque locum petere cogentur. Quod uſque quotidianus ſervorum uſus in verrendis, adaquandiſque diaetis confirmat, & nullus fere vel minimus foetoris ſenſus e putrido alicujus bruti cadavere, ſi juxta flumen relictum ſit, quum contra ſi in apertis jaceat campis, latiſſime, & quaquaverſus teterrimum intolerabilem ſitum redoleat. Aſt quomodo hac aqua utemur ad aerem Noſocomiorum non quidem purgandum ſolum, ſed purgatum, innocuumque continen-

---

(l) Diſſertazione ſopra l'elettricità de' Corpi nel T. I. delle Diſſert. e Lett. ſcritte ſopra varie materie ec. Firenze 1749. (m) *De aere, aquis, & locis.*

tinenter servandum? In medio Dormitorii, quod vel orbicum sit, vel quadratum, vel alius praeter propter aequalis hisce structurae, altissima contignatione vel fornice, nec non fenestris amplissimis fabricatum Fons lapideus ejectitius erigatur, quo aqua per tubulos, non per fistulas plumbeas, Vitruvio docente, ducta in altum longe prosiliens in varia decidat labra, ut quam minutissime rumpatur, & aliquantulum eminus quasi ros levissimus dispergatur. Hacce unica machina, commodissima, nec magno pretio paranda nocuas aeris qualitates in Nosocomiis arcebimus, quod mentis vestrae pars prior est, illustres atque providentissimi Viri.

Num haec humiduli aeris perpetuitas aegrotis nocebit? Seduli Nosocomiorum Medici, inter quos laudandi maxime Cll. V.V. Haenus (*n*) & Somis (*o*), jam viderunt, ut scitis, quot & quibus morbis magis obnoxii essent aegroti, qui in publicis hujusmodi hospitiis degerent, tunc cum calido gubernabantur regimine, & quos morbos hi nunc temporis fugiant, dum aer ipsis renovatur, refrigeratoriaque methodo curati sunt. Sed, quod propius ad aquam spectat in Dormitoriis aegrotorum tenendam, novistis jam magnum Boerhaavium (*p*) cui subscripsit illi non secundus Svvietenus (*q*), magnopere ad compescendas febriles vigilias commendavisse prae ceteris frigus modicum, aerem humidum; novistis etiam Cl. Tissotum [redacted] nuper aptissime monuisse (*r*), cubiculi pavimentum saepe in magnis febrientium aestibus aqua irrorandum, magnos-

(n) *De rat. medendi & Thes. sist. nov. febr. division.*
(o) Ragionamento sopra il Fatto avvenuto in Bergemoletto p. 137. (p) *Aphorism. de cognosc. & curand. morb.* §. 709. (q) *Comment. ad aphor. cit.* (r) Avis au peuple sur sa santé chap. III.

magnosque salicis ramos aqua imbutos in eodem cubiculo detinendos. Qui usus nonne plurimum convenit sive cum balneis frigidae a Veteribus post Antonium Musam (*s*) a Nuperis post Floyerum (*t*) saepe laudatis, sive cum roseis foliis frigida inspersis, quibus Antonio Francisco Bertino teste (*u*) involuerat Rodericus Castrensis, servaveratque aegrotum fere prae nimio aestu morientem? Ad quas auctoritates si licet addere quidquam, testari possum me iterum atque iterum duo haec optimo cum effectu curasse fieri; primum guttum quoddam rostratum aqua plenum altius figendo, parvaque cochlea ita clausum, ut aqua guttatim prorsus decideret, eamque exciperet aenea pelvis, sive ex aurichalco conflata: alterum aegrotorum cubiculum ter vel quater interdiu aqua inspergendo. Quorum ope auxiliorum notavi semper & pristinam evanescere graveolentiam, & aegrum plurimum recreari, & placido somno saepe complecti; quod ultimum aquei murmuris beneficium adverterat jam Ovidius (*x*) a Svvieteno citatus (*y*), Boerhaaviusque etiam laudaverat (*z*); & Tassus noster cuidam Lucae Martino jam comparaverat, ut a Bronzino Pictore, & Poeta nostro intelligimus (*a*).

Praeterea aer hujusmodi frigidiusculus, quoniam ex Sanctorii observatibus (*b*) Liserique in eum enarrationibus, robustis hominibus majorem ciet exhala-

[redacted] tio-

(s) *Dion. apud Haller. in Boerh. Meth. Stud. Med. T. II. Edit. Ven. p.* 304. (t) Ψυχρολουσία ([illegible]) or the history of cold bathing *ec.* (u) La Medicina difesa pag. 276. (x) *Metamorph. lib. X.* (y) *loc. cit.* (z) *loc. cit.* (a) Capitolo in lode dei romori, tra le Rime del Berni ec. (b) *Stat. Medic. Sect. I. Aph.* LXVIII. *Sect.* II. *Aph.* I.

tionem , debilibus autem minuit , quantam utilitatem non pariet tum iis qui acutis morbis decumbunt, tum iis qui chronicis? Prioribus enim sudores eliciet, quos eiicere avemus , aliis vires servabit, quas servare curamus ; nec ideo ob impeditam in hisce postremis aegris corporum exhalationem, viscera magis calefient, nisi si (inquiunt iidem) ea , quas exhalare debet materia, ob moram acescat, vel prae calore exteriori , vel prae motu violento. Quod si ad evitanda, quae perperam metuuntur , incommoda , eo cautius hoc fonte utendum videbitur, ipsum nocturno , & hiemali tempore , tum flantibus pluviis ventis , pluvia ipsa ingruente, potius , si ita libet, claudemus, ut pote magna reapse aeris portio tunc longe minus a luce agitata sponte considit, impuritatibusque illis, quas notavimus, minus vitiatur.

Atque haec dicta sint strictim de Nosocomiorum aere purificando , dum alioquin perpetua mundities commendanda, trullae bene clausae asportandae , parum aquae in illis tenendum , adaquandum , verrendum quotidie pavimentum , nimia hominum frequentia arcenda, quod Claudinus (*c*) ad frigidum servandum aegrotis aerem recte jusserat , nec ullius generis suffimentum est excitandum: quum observaverit Clarus in centum suis apophthegmatibus (*d*) dormire in aere bene olenti malum esse, in graveolenti autem pessimum.

Nunc quid in ergastulis praestandum sit presse videamus , quum ibi pauca plerumque sit hominum extraneorum frequentia , rarissimus plerumque ignis , exigua plerumque lux , diuturna in captivis quies , moestitia , & metus , & proinde, uti Sanctorius monuit (*e*) minima ex eorum cor-

---

(c) *De ingressu ad Infirm.lib.*III. *cap.*I. (d) Cento Aforismi Af. XXI. (e) *Stat. Medic. Sect.* VII. *Aph.* VII. VIII. IX.

corporibus exhalatio, ex supradictis inferimus, aerem ibi esse paucum, vix se moventem, frigidum, nec nisi solis fere terreis, summum faecosis quoque captivorum particulis a pauca illa luce, quae illuc intrat, productum. Horum aeris accidentium signa & effectus sunt tribus verbis paullulo minor hydrargyri ascensus in dictis tubulis Farenheitianis, minus promta hominum respiratio, atque illorum potissimum, qui insolenter carceres ingrediuntur, captivorum pallor, seu cachecticus color, mens tractu temporum hebes, oculorum acies obtusior, pupillae plus dilatatae, musculorum aut cutis tumor, non rarae tusses, stomachi languor, ischiades, crurum stupor, foeces cinereae. Quae omnia juxta sententiam nostram nullo negotio tribui possunt aeris paucitati, frigiditati, & inertiae, quibus fit ut neque, ut par est, exterius thoracem comprimat, neque, ubi illum pervaserit, eum intra juste dilatet; hinc sanguis non satis pulsus, fibris congrua mobilitas seu palpitatio a Rogero dicta (*f*) robur non conservatum; hinc omnis animalis oeconomiae functiones maximopere retardatae. Quae aerem multiplicabunt, excalefacient, movebunt, incommoda istiusmodi ex facili auferent. Ergo lux saepius, praesertim meridiano tempore, quo major est copia, vel si fenestrae ad ortum Solis spectarent, diluculo introducenda, ignis, aestate excepta, quotidie fere accendendus, in pavimento & parietibus mundiciae saepe faciendae, posthaec dum praecipue nubilus aut pluviosus fuerit aer, suffiendum baccis aut herbis quoque siccis vel viridibus aromaticis, denique constringendi captivi sunt ad semel quaqua nocte (aer enim tunc temporis, ut liquet, paucior, inertior) vociferandum, sive quod idem est sacras, ut decet, preces

elata

(*f*) *Specim. Physiol. de perpet. fibrar. palpitat.*

elata voce cantandas. Cujus utilissimae exercitationis commoda ad incolumitatem non modo sibi tuendam, verum etiam aliquando restituendam scite collecta legimus olim ab Hieronymo Mercuriali (*g*) nuper vero a Cl. Auctore Venetarum Ephemeridum Medicarum (*h*) : quarum vociferationis laudum integrum me subscriptorem habete. Frictiones itidem non abs re essent ut pote nostris ratiocinationibus congruentes, namque lucem extricant, ut perfricando in tenebris felium ex. gr. & equorum terga clarius apparet; At enim tot rerum peragendarum farrago anne Ergastulariorum, immo ipsorum Praetorum rumpet patientiam?

Utramque hanc methodum, si ejectitium fontem excipiam, quem auctoritate hactenus omni, ut fateor, destitutus impetrare huc usque non valui probe cessisse vidimus tum in Nosocomiis, tum in Carceribus, quos aliquandiu lustravimus. Verumtamen si inepta nihilominus Vobis videtur, Viri Doctissimi, meas saltem litterulas Vestrorum prudentissimis Problematibus, bonoque publico addictas postulo ut habeatis acceptas.

Data V. Nonas Martii A. C. MDCCLXIIII. Garbaneae prope Dertonam. Valete.


OPUSC.

(g) *De Arte Gymnastica*, & *apud James* Diction Univ. *T.* II. *art. Anaphonesis*.

(h) Giornale di Medicina *T.* I.

OPUSC. III.

De chronica urinae incontinentia, & repentina ſuffocatione a lumbricis Hiſtoria Medica cum ſectione Cadaveris



JOSEPHO BENVENUTO Lucenſi Phyſico V. Cl.

EGNATIUS MONTIUS Pap. Phyſ. S. P.

De eo quod tibi ſpoponderam, nunc fidem ſervo. Adoleſcentula XVI. vel amplius annos nata nondum menſtruis obnoxia poſt quinquennalem urinae incontinentiam nunquam curatam lumbricos aliquot quodam die dejecit. Poſthac ſingultu primum, mox nervorum omnium diſtenſionibus miro modo vexatur, nihil penitus degluttire valet, vultu ſtrangulata videtur, dentibus crepitat. Poſt aliquot horas dum adhuc convulſa eſſet, ſecatur ei vena e brachio. Intra diem integrum moritur.

Secto cadavere tam ſuperius quam inferius ventriculi os a centenis fortaſſe vermiculis, ſive tineis obſidebatur. In ventriculo aliquantulum livido pauca cruda, & viſcoſa reperta ſunt, fellis veſicula prae multa bile diſtenta. In viſceribus reliquis curſim luſtratis nihil aliud inſoliti viſum eſt.

CON-

CONSIDERATIO.

REpentinam suffocationem a vermibus praenunciant aliqui Clinici, & inter ipsos Baglivus (*a*): historias autem hujusmodi si non plures, quarum modo non memini, alteram saltem lego apud Cl. Albertum Hallerum (*b*). Verum ex hac nostra docemur amplius & vermiculos hosce minimos in ventriculo quoque aliquando degere, & non semper omnium tutissimos esse, ut plerique tuentur Clinici, & urinae incontinentiam aliquando a vermium quoque intestinorum irritatione oboriri ex eo quod communis sit vesicae, & intestinis membrana. Quod Cl. Morgagni, & Valsavae apud eundem animadversiorem illam confirmat (*c*) qua monent, ut cauti simus in definiendis morbis ad partes, quae attinent ad urinam, spectantibus, quippe quorum cognitio summa etiam arte quaesita non rarissime fallax est, uti suis & alienis exemplis eruditissime ac sapientissime idem Morgagnus explicat eodem loco: inter quae exempla forte etiam redigi mereretur quod alibi refert de Virgine illa (*d*) quae urinam multam suo praecipue ex vermibus morbo reddiderat, cuique sectae tum in tenui intestino lumbrici teretes, tum vesicae & itineris urinae vascula praeter cetera, reperta sunt sanguine multum distenta; quae duo accidentia a vehementi potissimum lumbricorum irritatione effectum fuisse potuisset.

Dubitabitur autem hic de duobus. Primum utrum vermiculi hi ad ventriculum aliunde repserint, an in ventri-

(a) *Prax. Med. lib.* I. *de lumbric. puer.*
(b) *Opusc. Pathol. Obs.* IX. (c) *De Sedibus & Causis morb. Ep.* XXXXII. *art.* 3. (d) *Op. cit. Ep.* XXXXVII. 12.

ventriculo proximam originem duxerint, quum non constet hancce adolescentulam de stomachi, aut ventris doloribus antea questam fuisse. Alterum, utrum (si incontinentia urinae a vermiculis caussam agnoverit) utrum inquam hi vermiculi quinquennalem vitam agere potis sint, an alii ex aliis per novas generationes pergant succedere. Utramque porro difficultatem enodare posse confido, ubi nihil de hisce statuam, & omnia haec contingere pari modo posse non negem. Nam & vermiculi antequam ventriculum peterent, vesicam propius irritasse usque ad extremos illos dies equidem potuissent, & in ventriculo ipso stabulantes irritationem transmittere, & propagare usque ad vesicam: & quum nullus hucusque statutus sit vermiculis hisce (quod sciam) terminus ad vivendum, usquedum in animalium corporibus stabulentur, quid prohibet quin vitam etiam quinquennalem trahant? Si tandiu vivere nequeunt, ergo eodem penitus modo quo animalia cetera, sibi succedent, quaecumque tandem sit, juxta tot placita, istorum vermium origo.

Nunc me postremo interrogas loco cur hos vermiculos tineas vocitaverim, neque usitatissima Graecanica *Ascaridum* appellatione sim usus. Licet res haec a proposito nostro aliquotfariam declinet, a litteraria tamen ac Medica dignitate ea non videtur aliena. Ad haec ergo repono; primo me hac Graecanica voce uti noluisse, quia latini usque ad Caelium Aurelianum (e) ea usi non sunt, neque Caelii Aureliani auctoritas sufficiens est, ut opinor, ad illam latinitate donandam, unde Cl. Facciolatus ipsam latinis literis scriptam merito ad verba barbara rejicit (f). Tineas autem dixi Q. Sereni Samonici ductus auctoritate,

(e) *lib.* x. *cap.* XXXXVI. (f) *in fine edit. Calepini.*

ritate , qui ubi de lumbricis purgandis canit (*g*) hos in tineam & lumbricum distinguit

.... tinea serpens
Et lumbricus edax ...

Licet autem tinea sit nomen generis lumbricorum , ut Graeca & latina docent Glossaria in voce [redacted] Ελμις & Facciolatus in V. Tinea , quum tamen lumbricorum nomine magis speciatim veniat duplex eorum species a Celso (*h*) distincta in latorum , & teretum , videretur tineae nomine indicari tertiam illam minimorum lumbricorum speciem , qui tineis praeter propter similes sunt . Quam ad amussim similitudinem explicat Petraeus (*i*) , ubi horum minimorum vermiculorum proferens signa , *ea sunt* , inquit, *continuus dolor & pruritus molestissimus circa anum ac si formicis plenus esset* , *cum gravitate dorsi* , *assidua ad egerendum irritatio* , *&* tineae *excretis alvi graveolentibus undique aspersae* . Quae fere verba exscripsit Jonstonus (*k*) inter quae habet : tineae *excrementis alvi graveolentibus undique asperguntur* . Hinc apposite Calepinus tineam definiendo inquit : *Item* tineae *ventris vermes sunt* [redacted] Ελμινθες *in intestini recti extremo nascentes* : quam notionem placuit Facciolato postea expungere (*l*) . Nec Epitheton illud *serpens* tineae a Q. Sereno datum horum vermiculorum ideam ita auget , ut ipsos grandiores nobis fingamus . Plinius enim (*m*) & Apulejus (*n*) serpentes dixerunt etiam pediculos .

c Hem

(g) *Medic. Praecept. cap.* XXX. (h) *Medicin. lib.* IV. *cap.* XVII. (i) *Nosol. Harmon. Dissert.* XXXI. *n.* 19. (k) *apud Th. Bonet. Thesaur. Medic. Pract. T.* II. *lib.* IV. *cap.* XXIIII. (l) *in Calepin. V.* Tinea. (m) *Nat. Hist. lib.* VII. *cap.* LI. (n) *in Florid. n.* XV.

Hem quid iſtud, obſecro? inquis. Num ab Cl. Morgagno noſtro ſuper hac re imprudens diſſentis, qui *taenia* eo Sereni loco, non *tinea* legendum eſſe aliorum quorundam lectioni favens ſcite defendit? Equidem quod tantus aſſerit Vir, piaculum fere cenſeo, Benvenute doctiſſime in minimam uſque dubitationem adducere, ſed quaenam, aedepol, ratio eximium literatiſſimum Virum movit ad *taeniam* non *tineam* ibi legendum? *Movet*, ait ipſe (*o*), *me liber ejus* (Keuchenii) *vetuſtus cum iis in hoc conveniens, quorum ſcripturam in ora adnotarunt Conſtantinus ac Stephanus*, *movetque praeterea lex carminis*, *quae* taenia *requirit*, tinea *reſpuit*. Omnia egregie. Verum nonne eodem Cl. Morgagno judice (*p*) male aliquando legere monuit Conſtantinus, licet quidem perraro? Nonne Stephanus Coſtantinum fere ad verbum exſcripſit (*q*)? Nonne Keuchenius ipſe a veteri illo ſuo exemplari quandoque, & longe ſaepius quam Conſtantinus a ſuo hallucinatus eſt (*r*)? Si igitur lectionem trium horum quos adeo Morgagnus ſuſpicit, non ita incontroverſam hic reputo, nemo mihi ſuccenſeat, vix enim ab ipſiuſmet Morgagni ampliſſima auctoritate declino. Contra quum omnes *libri typis editi* habeant *tinea* eodem Morgagno teſte (*s*), illi etiam a Molinio correcti (*t*), altero videlicet ex iis pauciſſimis, quorum editionem fatetur ſe non vidiſſe Morgagnus (*u*): quare ceteri omnes minus probare debeant

(o) *Ep. in Q. Seren. Semon.* I. *p.* 294. *Edit. Patav.* MDCCL. (p) *ibi pagg.* 278. 314. 315. (q) *ibi p.* 284. (r) *ibi p.* 291. *& ſeqq.* (s) *ibi p.* 294. (t) *Edit. Lugdun.* 1554. *apud Jo. Tornaeſium & Gulielmum Gazejum ſine Vindiciani tributo carmine & Edit. Lugd.* 1587. *apud Jo. Tornaeſium ſolum cum Vindiciani tributo carmine.* (u) *ibi p.* 296.

debeant quam illi tres, fane non video. Et quod ad Molinium attinet, is certe ea tria faltem menda non fivit in Serenum irrepere, fcilicet *jungatur* pro *jugatur* (x) : *aut qui olim* pro *at qui olim* (y), *baeticum* pro *beticum* (z) quae non ita bene adverterunt tres praelaudati, ut Burmannus (a) de primo, Morgagnus vero de reliquis (b) optime monuerunt. Sed fi Molinii diligentia eo melius libet tibi cognofcere, videfis quam aptius hifce tribus librariis aliqua alia Sereni Carmina vel legerit, vel correxerit, iis praefertim in locis, quae alii, quod fciverim, non perpenderunt. Capite XV. verfu VIIII. ubi vulgatae editiones habent

Ergo *enim* ftudio quaeres inhibere dolorem

Conftantinus mavult legere inepte

Ergo *autem* . . . .

Molinius legit

Ergo *omni* . . . .

Capite XXXV. v. I. ubi vulgares editiones

Nobilis hirfutas horret lafcivia Setas

Conftantinus inepte

Mollis & hirfutas . . . .

Molinius autem

Mobilis hirfutas . . . .

Capite LVII. v. VII. ubi alii legunt

Prodeft cum veteri Baccho fel vulturis *ampli*

Et v. VIIII.

Aut cruor *eft* Progne miftus cum polline thuris

Molinius legit

Prodeft cum veteri Baccho fel vulturis *atri*

Aut cruor *ex* Progne . . . .

 Haec

(x) *Cap.* XXX. *v.* XV. (y) *Cap.* XXXIII. *v.* XVI. (z) *Cap. ult. v.* IIII. (a) *in Edit. Poet. Latin. minor. a Morg. cit.* (b) *ibi Ep. I. p.* 302. *Ep. II. p.* 315.

Haec dicta sint ad probandum Molinii lectionem esse multum laudabilem ac pene dixerim ceteris praeferendam, tametsi non negaverim plura etiam in ejusdem editionem menda irrepsisse

Altera autem ratio numerorum quid valeat, brevi expendamus.

Ponamus primam *tineae* syllabam esse brevem, quid vetat Poetam in carmine, ubi necessitas metri postulet illam producere? Nova haec erit versificatoris libertas? Nequaquam. Notissimae sunt hujusmodi Poetarum licentiae, neque exemplis fas est ad id probandum. Ita idem Serenus produxit primam syllabam in *tenue* (*c*) eamque bisyllabam vocem fecit, produxit primam in *cimex* (*d*) & in *electri* (*e*) & in *coralium*, cui contra corripuit secundam (*f*), & tamen habemus priores hasce tres syllabas breves, secundam autem *coralii* longam apud alios Poetas. En *tenuis* apud Statium (*g*).

Sophronaque implicitum, *tenuis*que arcana Corinnae

En *cimex* apud Martialem (*h*)

Et teges atque *cimex* & nudi sponda grabati

Licet Scriverius legat *& cimex*. En *electro* apud Virgilium (*i*)

Quod fieri ferro, liquidove potestur *electro*.

En corallia apud Claudianum (*k*)

Mergit se subito, vellitque corallia Clotho.

Sic aliis utens licentiis in duas coegit syllabas *iisdem* (*l*), *deinde* (*m*) : in unam *cui* (*n*) ; geminavit lite-

---

(c) *Cap.* XVIII. *v.* XXI. (d) *Cap.* XLIX. *v.* V.
(e) *Cap.* LXI. *v.* V. (f) *Cap.* LII. *v.* XI. *&* XII.
(g) *Lib.* V. *Sylv.* (h) *Epigr.* LVII. *lib.* XI.
(i) *Aeneid.* VIII. (k) *De raptu Proserp.*
(l) *Cap.* XXV. *v.* V. XLIV. *v.* III. (m) *Cap.* XL. *v.* XV. *cap.* LIII. *v.* V. (n) *Cap.* XXXII. *v.* I.

literam in *relliquias* (o) in *tithymallus* (p), diphthongum abjecit in *bethicum* (q), adjecit *er* ad *curari* (r). Quod si omnium harum vel aequalium licentiarum praesto sunt alia his contraria exempla: age jam qua ratione nisi si ob libitum suum, & metri necessitatem produxit ipse mediam syllabam in *quereris* (s), ultimam in *penitus* subsequente vocali (t), & quod magis singulare est bis hanc ditionem *frondis* adhibuit pro *frons* (u) perperam a Caesario & Constantino correctam: tum a dictione *sambucus* (x) literam m dempsit eo, ut primam illam syllabam posset contrahere, quod Facciolatus (y) etiam animadvertit. Hac eadem ratione poeticae libertatis primam syllabam in *tinea* produxit; quod deinceps Sedulius aeque ac Q. Serenus inter Latinos Poetas annumeratus facere non dubitavit in illo carmine (z)

Non mordax aerugo vorat, non *tinea* sulcat.

Vale. Data IV. Cal. Aprilis MDCCLXIV. Garbaneae prope Dertonam.

(o) *Cap.* XXXIV. *v.* XXV. (p) *Cap.* XLVI. *v.* XI., LXIV. *v.* VII. (q) *Cap. ult. v.* V. (r) *Cap.* VII. *v.* IX. (s) *Cap.* XIV. *v.* XVII. (t) *Cap.* XVII. *v.* I. (u) *Cap.* XII. *v.* XXIV., *cap.* XXX. *v.* X. (x) *Capp.* IV. *v.* V., VII. *v.* XI., XIX. *v.* V., XXVIII. *v.* XI., XXXII. *v.* III. (y) *in Calepin. v. Sambucus.* (z) *in Op. Paschali.*

OPUSC. I I I I.

De nova Clinices tradendae Methodo.



Doctissimo, Clarissimoque VIRO

PETRO MOSCATO

Philos. Medic. & Chir. Doctori

Publico in Ticinensi R. C. Gymnasio Chir. & Sect. Cadaverum Professori

EGNATIUS MONTIUS

Pap. Med. S. P.



Ot tantisque laudibus Vir Clarissime tum eximiam singularemque doctrinam tuam, tum favorem tuum erga me maximum quamquam insperatissimum coram extulit Physicus Petrus Carolus Borsalinus assecla, & amicus meus suavissimus ad Patriam hancce suam studiis cumulatissimus redux, ut de priore illo merito tuo summopere gratulari,

&

& de altero vivacissimas tibi referre gratias vehementissime cogar. Nunc quidem video quo multiplici gaudio gestire debeat Patria isthaec mea, totaque secum Insubria non solum ob literarum nostrarum, Academiaeque nostrae dudum optatissimam restaurationem, verum enim ob adeo prudentem, plausibilemque usque decem doctissimorum Cathedrariorum delectum, quorum nobilissimum Socium Te intelligo esse, Vir Illustrissime. Nunc vetustum illud nostrum literarium decus, nunc jucunditatem, & utilitatem Gymnasio isto quam maximam Vobis Auctoribus longe creturum esse vere speramus. Nunc equidem satis doleo, me a Patria mea dulcissima importunissime discessisse, ubi nunc demum de disciplinis vestris, & gratiosissimo isto amore tuo tam magnum commodum percipere potuissem, atque hebetissimum, haesitansque ut plurimum ingenium meum felicius erigere, atque illustrare. Qui factum fuit, Tu inquis, ut quum edictus fuerat ab Excellentissimo Mediolani Senatu Candidatorum ad hasce Cathedras conventus, tu coram eundem Amplissimum Ordinem non sistiteris, ex quo si Tibi peritia congrua non defecisset, nos tibi Collegas cooptavisses? Utinam, Amice insignis, exspectatissimum nuncium illud non adeo sero ad me pervenisset, & cum pervenerit, nec nimis maxima de his aegrotis cura, nec aliae caussae non paucae me hic coactum detinuissent, nec tandem me sic crudeliter exanimasset literularum mearum maxima inopia! Quos non meditatus fueram modos conferendi omne studium ad Academiae istius nostrae decus augendum! Quam commodissimam de Medicina, praesertim Clinice tradenda methodum non statueram! Quae duo Vobis communicata, a Vobis aucta, & quod ad meas artes propius spectat, a Te praecipue ingenio & manu promptissime, perspicuam no-

 bis

bis gloriam erant fortaſſe comparatura. Atque ut conſumendi ocii cauſſa verba habeamus, quid de duobus hiſce hactenus cogitaverim benigne accipite.

Poſtquam cum Bacone, Sydenhamo, Stahlio, Baglivo, Boerhaavio, Furſtenaeo, Bertrando, Jameſio, Roncallo cet. inutiles fere noverim Medicas doctrinas omnes, quae ab Obſervationibus nequaquam recta proficiſcuntur, omnia Clinices fundamenta in ſolis Obſervationibus cenſui ſtabilienda. Ad hunc, ut videtis, optimum & probatiſſimum finem millenas plus minus a mea quatuordecim annorum Clinice ortas Obſervationes in Commentaria conjeci, & conjicere pergo in varias claſſes poſtea diſtributurus. Sed haec nonniſi exigua baſis eſt vaſtiſſimi aedificii. Infinitarum pene alienarum Obſervationum vim tam a Veteribus quam a Nuperis, Exteris & Noſtratibus, illuſtribus & ignobilibus etiam Auctoribus aliquo tamen temporum, atque librorum ordine coacervare jamdiu incepi; meis & alienis omnibus in ſententioſos Epilogos perſtrictis, eas in quatuor ad amuſſim Tractatus diſponere animus eſt, & in

I. Signa, ſedes, & cauſſas morborum ab omnibus & Clinicorum Obſervationibus, & Cadaverum Sectionibus inquiſitas caute ſtatuere; in

II. Generalia prognoſticorum dogmata eadem ratione texere tum quod ad acutos attinet morbos, tum quod ad chronicos, circa quos ultimos certe nonniſi ſparſa huc uſque reperiuntur, nec plurima praecipue ad praeſagiendum documenta: in

III. Remediorum omnium tam bonos, quam malos, tam nullos, quam lethales effectus in morbis ſingulis fideliſſime recenſere: in

IV. Auctorum praecipue Clariſſimorum doctrinas cum conſtantibus naturae, & remediorum effectibus breviter comparare, & quae adhuc incerta ſunt, a certioribus dijudicare. Haec

Haec autem persequens Auctorum singula loca religiose allegabo, ex quibus sententias illas eruerim: severiorique latino stilo conscribam, vocabula illa omnia prorsus rejiciens, quae tametsi apud Medicos etiam literatissimos sint usitata, ea tamen vitare posse volens confido.

Cujus immensi propemodum laboris hoc opus futurum sit, Tu ante alios potes perspicere, Vir doctissime. Attamen si libuisset Amplissimo isti Ordini haec mea studia Clementia sua magnanima & benignissima excipere, atque ultro sovere, idem pro viribus & copia mea ad amussim exequuturum conatus essem quam cito: quum contra si nullus stimulus proclivi animo admovetur, in longius equidem tempus perfectio operis protrahetur.

Sed & alia rursus moliminа praeter hosce Tractatus ad Academiae Nostrae & Clinices dignitatem amplificandam mecum corde volutaveram, ut inter cetera umbratilem exercitationem, quam alias ante discessum meum a Patria domi institueram, vivaciori cura repetere, atque instaurare, ad quam exercitationem unaquaque hebdomada discipuli conveniebant considerationes suas super morborum historias eisdem traditas accuratissime exponentes, recitantes, ac denuo perpendentes, & ad scribenda consilia, discutendasque quaestiones medicas se exercentes omnem quantamcunque eruditionem, quae attinet ad Physiologiam, Medicinamque sedulo perlustrabant. Ad cujus, aliorumque literariorum moliminum, quae nunc silentio dissimulo, ne jactationis accuser, felicissimum exitum, Vestrum, non inquam, Societati duntaxat, verum auctoritati & laboribus spem plurimam collocavissem. Sed enim quum nihil fere fors fortuna me, meaque incoepta, & cogitata usque adhuc secundet, ipsisque perpetuo impar ego manere

cogar

cogar, Tu me interea literatissimo Commercio Tuo humanissime consolare, Te certiorem faciendo, quod amor, & favor Tuus cuicumque aliusmodi fortunae meae aequilibris apud me semper futurus affabre est. Cura ut valeas optime Vir, & literariam rem me felicior, uti & aptior auge.

Data XVI. Cal. Aug. A. C. MDCCLXIIII. Garbaneae inter Dertonam, & Genuam.

OPUSC.

OPUSC. V.

De Attonito Voluntario diuque mortuo credito.



Amplissimo ac Celeberrimo Viro
ALBERTO HALLERO
Dynasti, in Supremo Senatu Bernensi CCVIRO
Nobili Anglo, Britannici Regis Consiliario
Aulico
atque Archiatrorum Comiti, Omnium fere
Academ. Sc. Socio
& Regiae Gottingensis Perpetuo Praesidi

EGNATIUS MONTIUS
Pap. Phys. S. P.

Plurimas rependens gratias & Tibi Praeses Amplissime, & istis Academicis Viris omnibus de liberali Cooptatione in tam illustre Regiumque Collegium Vestrum, de qua confertim, Tua opera, me pridem honoravistis singularem prorsus historiam Vobis subjiciam de Voluntario Attonito, ut cum Swieteno (a) & Mor-

(a) *Comment. in Herm. Boerh. Aph.* 1007.

Morgagno (b) hoc Celſi (c) nomine utar in ſenſum hunc ; cujus portenti vix duo ſimilia intelligo fuiſſe exempla , alterum apud Cardanum noſtrum (d) quod etiam Zacchias memorat (e) alterum apud Cheyne (f) , ut a Te doceor eruditiſſime Vir (g) , tametſi Sapientiſſimus Dynaſtes Caeſareuſque Archiater Svvietenus cuilibet fere homini tribuere videatur poteſtatem ſeſe attonitum fingendi , & membra omnia retinendi in eodem ſitu , quem antea habebat (h) ut citatus Cardanus Turcis id frequens eſſe aſſeverat (i).

Gregorius itaque Cartagena Sagax praetermodum , fidei tamen plenus proximi ruris Villicus hiſce viciniis omnibus notus , dum bellum jamdiu in Inſubria fieret , in manus cecidit inimicorum qui ob aliquam injuſtam , opinor , cauſſam tanquam exploratorem compedibus detinuere , eum inſuper minis adeo territantes ut infelici ligno brevi ſe ſuſpendendum crediderit. Poſt aliquot dies , Numine fervidiſſima oratione antea implorato , ſtatuit ſe mortuum ſimulare. VIII. igitur Cal. Sept. circa plus minus tertiam , ſeu Italicam horam XIV. ſolo ſponte proſtratus Cuſtodem Carceris exſpectavit , qui parciſſimum , ſive jentaculum ſive prandium eo conſtituto tempore eidem ferre ſolebat. Ingrediente Cuſtode ſpiritum retinere , om-

(b) *De Sedib. & Cur. Morb. Ep. II.*

(c) *lib. III. cap.* XXVI.

(d) *De Variet. lib. VIII. cap.* XLIII.

(e) *Quaeſt. Med. Leg. lib. III. Tit. II. q.* VIII.

(f) The Engliſch malady.

(g) *in Meth. Stud. Med. Boerh. T. I. pagg.* 587. *&* 590. *Edit. Ven. MDCCLIII.*

(h) *Comment. cit. Aph.* 1041.

(i) *loc. cit.*

omnemque motum comprimere ita valuit, ut Custos ille rem admiratus hominem vel jam extinctum vel morti proximum autumans diligentiam contulit omnem ad jacentis vitam, ut melius potuit explorandam. Eidem appropinquatus hunc inclamavit, concussit, ursit, pupugit, utraque nunc illi sustulit brachia, nunc crura, nunc caput: ipse autem Gregorius non respirabat, & membra omnia veluti jam rigentia mollissime remittebat. Accedit quod exstuante illo tempore magna muscarum vis totum jacentis corpus obsederat; quapropter Ergastularius exanimatum penitus esse Gregorium Praetori detulit, qui tamen Medico una Chirurgo accitis accuratius praecepit adstans experimentum. Vena ideo a non inhabili Physico tactu exploratur, sed nihil micat: manus diutine pectori applicata nullam palpitationem cordis persentit: eum modo e frigida, modo ex aceto aspergunt, illius ori & naribus candelam accensam admovent, nulla motiuncula, ac nullus halitus perspicitur. Omnes praeter Physicum solum Gregorium mortuum judicabant. Hic autem hominem illum exspiravisse animam non rebatur, nisi quod suus faciei color adhuc constabat; quae tamen species, ut ex Morgagno scimus admodum incertum praebet vitae argumentum. Hic enim maximus Vir & Senis faciem postridie ab ejus morte adhuc subrubentem vidit (*k*) & quod magis mirandum est, pueri genas quarto post ejus obitum die colore roseo pulchras adhuc conspexit (*l*). Ad alia ergo vehementiora tentamina deventum est. Humeris ei denudatis cucurbitulae impositae concisa cute; Dein aliqui pedum digiti arctissime deligati; minimi autem manuum

(k) *Op. cit. Ep.* XXVI. *n.* 33.
(l) *Ep. XIV. n.* 3.

manuum uſque dum nigricaverint defricati ; dentes , quos ſumma vi conſtrictos tenebat , ſpathulis ſed incaſſum perrumpere conati ſunt , & guttas aliquot liquoris ſubtiliſſimi ex ammoniaco eliciti immittere , quarum irritamento obſiſtere , revera , ut faſſus eſt poſtmodum , vix ipſe valuit , at ſibi id etiam bene ſucceſſit. Quid quaeris ? Uſque ungues manuum , plantarumque ei feſtucarum peracutarum ope retrorſum flexae. Ipſe autem intrepidus ac immobilis cruciatibus hiſce reſtitit uſque ad primam vigiliam , ſcilicet per x. ſaltem , aut xi. horarum ſpatium. Propoſitae deinceps fuerant miſſiones ſanguinis , cauteria , & alia hujuſcemodi , ſed quum inania denique ac inutilia omnia Speculatores , & Spectatores concorditer reputaverint , perinde mortuum dereliquerunt. Cataſtropha hujus fabulae ita orta eſt. Sacerdos quidam , qui ex abundanti vocatus fuerat , ut religionis gratia Gregorio , ubi revixerit , praeſto eſſet , prudenti conſtantiorique percitus pietate ſerius apud illum remanſerat poſt aliorum diſceſſum . Huic Gregorius , ut novit ſe ſolos eſſe , laborioſiſſimam fictionem ſuam , ſtomachumque in aurem detexit. Hic autem clam deportari ut cadaver periclitantem hominem ſtuduit , eumque ab imminenti forſan ſupplicio felici eventu ſubtraxit.

Hiſtoriam hanc ubi literatiſſimis Gottingenſibus Sociis , tuiſque Amicis Verlhoffio praeſertim Britannici Regis Medico , & Roſenteinio totius Regni Sveciae Archiatro, quibus Tu maxima humanitate me, meaque alia Opuſcula jampridem notificaſti favore novo mittas , ipſis a me dicas ſalutem precor & diutiſſime vale Tu Vir Ampliſſime & gratioſiſſime in praeſens & in futurum laudabilis & admirande. Data Garbaneae x. Cal. Maii. A. MDCCLXVI.

FINIS.